



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

17. De Astrologis iudiciariis. Et an contra ipsos possint Inquisitores animaduertere? Et quibus poenis supradicti rei sunt plectendi? Ex p. 4. tr. 7. res. etiam 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

infami exilio, & carcere, etiam perpetuo. Hæc Soufa. Vnde Aloyfius Barola in *aphor. lit. T. ver. Testes*, § 8. afferuit, quod ex inveterata consuetudine testes falsi in S. Officio damnantur ad remum. Vide etiam Pegnam in *direct. Inquis. part. 3. comm. 122.* & Simancam *tit. 64. n. 91.* de pœnis supradictorum differentes. Et nota, quod in omnibus casibus, seu rei Curie seculari tradantur, five aliis pœnis, ut *supra*, plectantur, minime abjurabunt, quia in his casibus non cadit abjuratio. Sed quid si testis, pro defensione inquisiti falsum deposuit coram Inquisitoribus, negando hæresim, quam sibi constat commississe? Respondeo quod in tali casu testis falsus debet abjurare fautoriam pro qualitate suspitionis, tanquam fautor hæreticorum, & ut plurimum puniendus est pœna extraordinaria fustigationis, v. g. & utremium, vel utraque simul. Ita Calstr. Palau in *sum. tom. 1. tract. 4. disp. 8. punct. 15. §. 6. num. 9.* & 10. & ante illum Simanca *tit. 64. n. 90.* ubi sic ait: Inquisitores testem qui falsum testimonium dixit in probatione objectorum, adversus alios testes, punire non debent pœna talionis, sed extraordinaria aliqua coërcitione, quemadmodum quibusdam Episcopis Senatus S. Inquisitionis plenius continetur. Sic ille.

4. Notandum est tamen hæc obiter, quod filij & nepotes testis falsi in aliquo atrociore casu forsitan combusti, propter pœnam talionis non eisdem pœnis afficiantur, quibus filij & nepotes hæreticorum, ut ex pluribus docet Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 2. cap. 27. num. 25.* & Simanca *loco cit. num. 92.* Soufa numero 31. & alij.

5. Restat modò discutere, an Inquisitores possint punire, & quibus pœnis eum, qui pœce, minis, aut pretio testem corripuit, ut falsum in sacro Tribunali contra aliquem deponeret? Respondeo quod nemo, quem legerim, advertit, Bertazolium virum doctissimum *vol. 1. consil. 62. per totum*, docere Inquisitores in hoc casu non habere jurisdictionem puniendi, mandantes & corrumpentes testes, ut falso coram ipsis deponant, & contrarium asserere, ait ipse, esse ab omni veritate alienum. Sed fallitur, vir doctus, nam affirmativam sententiam determinat Leo X. in Bolla edita die 14. Decembr. anno 1518. ibi, *aut alium ad falsum deponendum*, &c. & hanc sententiam etiam docet Soufa in *aphor. Inquis. lib. 2. cap. 8. num. 28.* Iacobus Simanca *tit. 64. n. 96.* Pegna in *direct. p. 3. comm. 122.* Vmbertus Locatus in *praxi Inquis. in casibus Placentia discussis, cas. 5.* & alij communiter. Ratio est clara, quia plus delinquit is, qui testi mandat, vel persuadet ut falsum testimonium dicat, quam testis ipse, quia nocendi animum prior habet, & alium ad id facinus impellit. Quibus verò pœnis coërcendi sint in tali casu mandantes, & corrumpentes testes, ut falso deponant, assero plectendos in iisdem pœnis, quibus ipsimet falsi testes plectuntur, & ideo Soufa in *aphor. Inquis. lib. 2. cap. 8. num. 27.* postquam enumeravit pœnas imponendas falsis testibus, de quibus *supra* dictum est, statim in *num. 28.* ita subiungit. Eadem digni sunt pœna, qui testes pretio, aut minis corrumpunt, & qui hoc fieri mandant. Ita ille. & Simanca *loc. cit.* & ideo in Concilio Bituricensi *cap. 26.* sic habetur. *Et si forte dejeraverint, aut induxerint alios ad dejerandum partem in superiori parte duarum Crucum (quas portare habent in pectore & inter scapulas) brachium transversale unius, vel circa.* Hæc ibi, in quibus verbis clarè apparet iisdem pœnis plecti testes falsum deponentes, & inducentes eos ad falsum deponendum. Vnde in hoc sacro Tribunali Regni Siciliæ damnavimus Regularem falsum testem, & qui alios ad testificandum falsum corruerat, damnavimus, inquam, ad tritemes per decennium cum aliis pœnis, & reum innocentem, si vellet, diximus ducendum esse in publico spectaculo cum honore ferentem tamum palmæ in manu; ut fa-

Tom. V.

ctum est etiam olim, in Inquisitione Consequenti: complices verò supradicti rei, quia erant scemina, damnavimus ad fustigationem & ad exilium per sex annos ut in casu simili factum fuit in Inquisitione Gallicæ. [Sin Embargo, ait Inquisitor San Vincente in *manuscript. cap. 23. §. 3.* que en las primeras audiencias, confesassen quien les havia inducido.

RESOL. XVII.

De Astrologis judiciariis.

Et an contra eos possint Inquisitores Animadvertere?

Et quibus pœnis supradicti rei sint plectendi? Ex p. 4. tit. 7. Ref. etiam 17.

§. 1. **P**osse contra Astrologos judiciarios Inquisitores animadvertere, pater ex consilio Sixti V. in *tit. 10. Ref. & docet Peyrinus in privil. Minim. tom. 2. consil. 9.* tot. signat. *Pauli V. §. 2. n. 23.* Alphonsus de Leone in *tract. de offic. & potest. Confess. p. 1. recollect. 22. num. 15. cas. 30.* Soufa in *aphor. Inquis. lib. 1. cap. 48. num. 15.* & Scottia in *Bull. Pontif. epit. 140. theor. 361.* quia eorum modus prænuiciandi futura est Republicæ valde periculosus, & expositus multis superstitionibus, & præsumitur ex occulta societate eam dæmone pendere, nec tales Astrologi exculantur, licet protestentur se id non affirmare certò, id enim videntur facere ad fraudes regendas & statutas pœnas vitandas. Vnde non desinam hæc apponere verba Leonardi Lessij, viri doctissimi, de *just. & iure lib. 2. cap. 43. dub. 6. num. 42.* sic asserentis. Si aliquid particulare prædicant absolute, v. g. hunc tali morte, hoc tempore, vel loco periturum, hunc futurum Episcopum, furem, & similia, graviter peccant, & sunt puniendi, etiam si postea dicant se non certò affirmare voluisse, quia alioquin omnes facile se excusarent & contra iudices defenderent. Secundo si prædicant aliquid, maxime in particulari, cum circumstantiis, quarum non possunt reddere rationem nisi ex regulis Astrologiæ judiciariæ, v. g. quia hora Nativitatis erat talis cœli catastasis, nō sunt excusandi, etiam si solum dixerint esse probabile, aut verisimile, quia cum revera nihil tale ex astris colligi possit, omnis talis prædictio referenda est ad disciplinam malignorum spirituum, & occultam eorum societatem, & sanè perniciosum est putare regulas illas esse probabiles, cum eadem ferè incommoda sequantur, & ipsi Astrologi, quos Ecclesia damnat, sæpè nō plus dicant, farentur enim suas prædictiones non esse semper certas, & posse interdum aliter evenire, nihilominus meritò rejiciuntur tanquam impostores, & occultæ commercia cum diabolo habentes. Si verò solum in genere pronuncient, ita ut probabilis ratio reddi possit ex ætate, dispositione corporis, temperamento, consuetudine vitæ, aut aëris affectione, quæ ex fidem concursu, vel aspectu proveniat, non sunt condemnandi. Hæc omnia Lessius, & alij communiter.

2. Quibus verò pœnis supradicti rei sint plectendi, Soufa in *aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 48. n. 15.* sic ait: Astrologus judiciarius de futuris contingentibus à libera hominum voluntate pendentibus aliquid eventurum affirmans, etiam si id non certò affirmare asserat, ab Inquisitoribus puniri potest Canonicis pœnis, ac etiam aliis secundum eorum arbitrium, ex Constituto Sixti V. Vnde in Inquisitione Hispanica quidam Clericus qui prædixit tempus, genus & modum mortis Regis Francorum, ut postea evenit, abjuravit de levi, suspensus fuit ab Ordinibus, & beneficiis privatus, & à tota Hispania exulatus, & alius Clericus etiam eodem tempore abjuravit,

X x

de

de levi, & fuit reclusus per annum in quodam Monasterio, si etiam pœna pecuniaria. Igitur supradicti si frequenter iudiciariam exercent, & maxime cum de multis aliorum, merentur in actum publicum exire, ubi abjurent de levi, & in exilium & pœnam pecuniariam condemnentur.

3. Non reticeam tamen hic adnotare quoddam Michaël Zanardus in director. Inquisit. part. 1. præc. 1. cap. 5. q. 16. asserit: Astrologus iudiciarius, si tantum affirmet se credidisse, non alia nos inclinare, sed non cogere, quamvis subdatur iudicio Inquisitorum quoad investigationem credulitatis, quia ex facto se reddidit suspectum, non tamen debet abiurare, quia rem indifferenter gessit. Ita ille. Sed in hoc DD. Inquisitores accurate animadvertant, nam cum tales in Tribunali non torqueantur, interrogati ab Inquisitoribus omnes equidem ad pœnas effugiendas responderent se non credere quoddam alia cogere possint. Idem in casu contingenti mitto me arbitrio DD. Inquisitorum, Novissime prodit Bulla Urbani VIII. quæ omnino videnda est.

RESOL. XVIII.

De infordescensibus per annum in excommunicatione, Et an tales sint suspecti de hæresi, & quæ pœnitentia sit eis imponenda?

Et an Inquisitores possint procedere tantum contra infor-

descens in excommunicatione ex causa Fidei?

Idem dicendum est de fautoribus, defensoribus, & recepta-

toribus Hæreticorum, ac quoquo modo Officium S. In-

quisitionis impediens, & reclusis se purgare.

Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 18.

§. 1. **P**ossit cum supradictis Inquisitores procedere clarum est, quia tales sunt de hæresi suspecti, ut patet ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. & docet Rojas singul. 60. num. 2. Simanca tit. 27. n. 4. Fulc. de visis. lib. 1. c. 29. num. 2. Azeved. lib. 3. tit. 5. leg. 1. n. 213. Sayrus de cens. lib. 1. cap. 10. num. 10. Guttier. in can. 99. lib. 1. cap. 12. num. 20 & alij, quos citat & sequitur Barbo. in collect. Doct. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 15. num. 12. & Sanctarell. de hæresi, cap. 4. d. 5. 4. n. 4. Vnde cum supradicti censeantur male sentire de fide, ex potestate Ecclesiæ interrogandi sunt quid sentiant. Et hanc sententiam veram etiam existimat Castr. Palas in summ. tom. 1. tract. 4. disp. 4. punct. 2. n. 5. cum Farinacio & Menochio, etiam quando dicti infordescens in excommunicatione fuerint excommunicati ex causa civili, quia contumacia uniformis est, imò maior videtur in causa civili, utpote leviori, & quæ regulariter minus retardare possit excommunicatum à comparando.

2. Sed ego contra Castrum contrariam sententiam teneo cum Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 6. num. 6. ubi sic ait: Contumax in excommunicatione per annum infordescens suspectus habetur de hæresi, beneficiisque privatur, quando esset excommunicatus pro crimine, secus pro causa civili. Ita ille. Cui addo DD. quos affert Sanctarellus tract. de hæresi cap. 4. dub. 4. num. 5. & Sayrus de cens. lib. 2. cap. 10. num. 4. Vide etiam Gonzalez in regul. 8. Cancell. gloss. 15. num. 106. ubi asserit ita decisum fuisse à Romana Rota in una Segobien. infordescens 5. Junij 1598. coram Seraphino, ubi rejicitur Menochius & Salzedo, quos pro se Castrus citavit.

3. Verum notandum est, quoddam licet possint, ut dictum est, tamen ex consuetudine Inquisitores non solent procedere contra excommunicatos pro aliis delictis extra hæresim, etiam si inforderint in excommunicatione, & ita observat Michaël Zanardus in director. Theol. part. 2. præc. 1. cap. 5. §. 18. in fin. Graff. in

decis. part. 1. lib. 4. cap. 14. num. 4. Sigismund. Scaccia de iudiciis, &c. lib. 1. cap. 98. num. 36. Zecchi in summ. tom. 1. tit. de fide. cap. 1. num. 13. Pœna in direct. part. 1. comment. 72. Acugna de Confess. sol. ques. 24. num. 61. & Soula in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 27. num. 6. ubi sic ait: Perseverans per annum in excommunicatione non ex causa fidei, non hæreticus reputatur, sed solum leviter suspectus, ex consuetudine tamen Romana non procedunt Inquisitores contra huiusmodi excommunicatos. Ita ille. Non desinam tamen hic adnotare Genuesem in praxi Archiepisc. cap. 68. num. 8. asserere Inquisitores contra infordescens per annum in excommunicatione, non in causis fidei procedere & imponere pœnitentiam salutarem, & abiurationem de levi, sed quidquid sit de hoc, certum est in Inquisitione Hispanica Inquisitores procedere tantum contra infordescens in excommunicatione ex causa fidei, & ideo dico quoddam talis sic citatus ad respondendum de fide contumax erit, per annum in excommunicatione infordescens, ut hæreticus non verus, sed præsumptus condemnatur. Idem dicendum est de fautoribus, defensoribus, & receptoribus hæreticorum, ac quoquo modo Officium S. Inquisitionis impediens, & recalcitrans se purgare. Ita Soula in Aphor. Inquis. lib. 1. cap. 27. n. 1. & 2. Pœna in direct. Inquis. part. 3. comment. 172. Vide textum clarum in cap. cum contumacia, de hæresi, c. 6. & ratio est, quia, ut ait Emericus in direct. part. 3. q. 47. si quis suspectus est leviter de fide, & ob eam causam citatus ut respondeat, si intra terminum assignatum negligit respondere, illa levis suspicio transit in vehementem: si autem in illa negligentia per annum perseverat, suspicio vehementer transit in violentam, ex dicto cap. cum contumacia, ergo ut hæreticus erit condemnandus. Vide Scacciam de iudic. &c. lib. 1. c. 98. n. 4. Menoch. de arbitrar. lib. 2. cap. 374. num. 10. Farinac. de hæresi, q. 91. n. 14. & alios penes ipsos.

4. Nota tamen quoddam prædictus excommunicatus ut tanquam hæreticus condemnatur, si facile capi non potest, debet specificè citari ad respondendum de fide, & ad se purgandum de suspensione ex infordescencia orta, & quamvis citatio una fortè sufficiat in dicto casu, tutius est ut triplex præmittatur. Annus verò debet esse continuus, & toto illo tempore cum potestate comparandi, & incipit à die declarationis, vel sententiae, vel notorietatis. Si tamen ante annum lapsum moriatur, non condemnatur ut hæreticus, neque eius bona confiscantur, nisi ex testibus esset plene convictus. Ita Pœna & Soula loc. cit. quibus adde Simanca tit. 14. n. 4. & alios penes ipsos.

RESOL. XIX.

De transferentibus arma, equos, &c. in terras Infidelium, & de penis, quibus puniuntur, si animo adjuvandi Infideles, & Hæreticos in bello ad impugnandum Christianos hoc fecerint, secus si lucrandi, & negociandi causa hoc egerint.

Et an adversus supradictos Inquisitores possint procedere?

Ex p. 4. tr. 7. Ref. etiam 19.

§. 1. **A**dversus supradictos proceditur in nostra Inquisitione Hispanica. Vnde Cañereta in 99. crim. cap. 1. de hæresi, num. 68. in fin. sic asserit: Inquisitores possunt cognoscere & procedere contra deportantes arma & cibaria prohibita Saracenis. Ita ille, & Bobadill. in polit. tom. 1. lib. 2. c. 17. n. 69. testatur. [Que en los Reynos de Aragon procede el S. Oficio de la Inquisición contra los tales.] Quoad pœnas verò olim hæc facientes abhorbant de levi modo tamen non est in usu, sed si vilis persona est, fustibus caditur, si minimus, exilio & pecunia, in ea quantitate, quæ equi armari valebant,